



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Capita Pietatis Christianæ, Interrogationibus Et  
Responsionibus vsitatis in Catechetica Methodo ita  
explicata, vt breuem sed integram hypotyposin doctrinæ  
purioris complectantur**

**Ferinarius, Johannes**

**Magdeburgi**

**VD16 W 3078**

Decalogvs.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-36195**

Quare Lex Moralis, cum natura nota sit & cum illi in hac vita non satisfiat, tamen voce Dei sæpè proposita & palàm promulgata est?

Respondeo: Quatuor sunt causæ principales.

1. Quia caligo quæ post peccatum accessit, fecit naturalem notitiam obscuriorem.

2. Quia voluit Deus conspici testimonium, notitias naturales ab ipso esse transfusas in hominem, & iudicium conscientie, ortum ex illis noticijs, & pœnas, quæ sequuntur delicta, accidere non casu, sed ordine diuino, ut ipse Deus discernatur à naturis malis.

3. Ut Lex sit testimonium nostræ miseriæ, & nostræ restitutionis. Monstrat enim discrimen inter iustitiam, & peccatum, imò damnat peccatum in toto genere humano, Ostendit etiam, qualis sit Christus, scilicet, habens perfectam iustitiam, secundum Legem, & ideo perfectè pro nobis satisfaciens in pœna, quam & innocens, & volens pro nobis sustinet, ut placetur ira Dei nostris peccatis debita.

4. Ut dicat testimonium de futura vita: Quia Legem oportet integrè fieri, Non enim frustra lata est Lex. Sed non fit in hac vita.

Ergo necesse est restare aliam vitam, in qua erit & integra iustitia beatorum, & pœna damnatorum æqualis magnitudini peccatorum, scilicet, mors æterna.

Quot

## Quot sunt tabulae Decalogi.

Duae. Prior loquitur de vera agnitione, qua Deus agnoscitur, lucens ipse in nobis, & sese nobis communicans, & qua nos vicissim diligimus eum, laetamur in eo, & efficitur unum cum eo.

Secunda ostendit, qualis debeat esse ordo, in omnibus partibus hominis, & inter homines ipsos, ut sit conformitas cum Deo. Sit homo iustus, castus, verax, quia talis bonitas, & sapientia in Deo est.

## Vsitatè ita discernuntur tabulae.

Prima loquitur de operibus, quae immediatè cum Deo agunt. secunda de operibus, quae immediatè hominibus praestantur, & fiunt cultus Dei, quia propter eum fiunt.

## Quid est cultus Dei.

Est opus mandatum à Deo, factum in agnitione, & fiducia Filij Dei, relatum ad hunc finem principaliter, ut Deo praestetur obedientia, & honor, id est, testificatio, quòd statuamus, hunc solum verè Deum esse, quem sic colimus, & quòd sic velit coli.

## PRIMUM PRAECEPTUM.

Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti. Non habebis Deos alienos.

Quæ sunt admonitiones tenendæ  
in enarratione huius Præcepti:

- I. Prima admonitio est de sententia Præcepti.
- II. De opere, seu testimonio, addito propter discrimen veri Dei & Idolorum.
- III. Quomodo inchoetur obedientia.
- IIII. Puerilis enumeratio operum primi præcepti.
- V. Antithesis, complectens peccata, pugnantia cum hoc præcepto.

I. Primum præceptum præcipit de vera agnitione Dei, quam vult lucere in homine in hac vita, fide accensa per verbum, quo se verus Deus patefecit. Cum enim sit verus, vult etiam verè agnosci, non fingi de se ludibria opiniorum.

Deinde præcipit de unitate cum Deo. Non vult hominem esse auulsum ab ipso, neq; homines furere odio ipsius, & iustitiæ ipsius: Sed ita conditus est homo, ut sit adiunctus Deo, tanquam capiti, & ut Deus homini sese in tota æternitate communicet.

Duplex verò est propositio Præcepti: Affirmatiua, & Negatiua, ut per Antithesin altera alteram illustret. Affirmatiua præcipit, ut in nobis sit lux verè agnoscens Deum, & unitas cum Deo in ardente & perfecta dilectione, in timore Dei, in letitia & fiducia super omnia, iuxta dictum: Diligas Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo.

II. Quare

## II. Quare facit mentionem educationis ex Aegypto :

Quia hoc opere seu testimonio, discernendus est  
verus Deus, ab omnibus commenticijs numinibus.

Contra :

Opificium mundi est testimonium de Deo.

Ergo non opus est alijs patefactionibus.

Respondeo: Assensus ex consideratione opificij  
mundi, creati à Deo, in hac naturæ corruptione, est  
languidus, propter multiplices fluctus dubitationum,  
de essentia & voluntate Dei, item: propter spectacula  
eventuum contrariorum, qui accidunt in vita, Ideo Deus  
edidit verbum, quo se patefecit, ut patefactus agnosci  
& discerni posset ab idolis. Dedit igitur legem &  
Evangelium, & addidit illustra. testimonia, scilicet si-  
gna & miracula, ut certò sciamus, quòd hoc modo  
velit agnosci & coli Deus.

III. Cum in omnibus qui conuertuntur  
necesse sit inchoari legem, quæritur: Quo-  
modo inchoetur primum Præce-  
ptum : Nam hæc est doctrina  
applicationis.

Respondeo: Sic se Deus patefecit, quòd velit agnos-  
ci, se esse patrem Domini nostri Iesu Christi, & quòd  
propter Filium remittat peccata credentibus, & sanc-  
tificet eos spiritu sancto suo, & reputet eos iustos pro-  
pter Filium, quanquã non habentes in hac vita perfectã  
obedientiam, cum tamẽ in omnibus, qui conuertuntur.

D 4 inchoari

inchoari obedientiam necesse sit, iuxta dictum: Lex fide stabilitur.

### III. Vſitatè quinq; numerantur opera

#### I. Præcepti.

1. Fides, quæ est assentiri omni verbo Dei, nobis tradito, atq; ita promissioni gratiæ, & est fiducia acquiescens in Deo per Filium, accedens ad Deum, inuocans eum, & clamans: Abba pater.

#### Contra:

Oportet seruari immotum discrimen, inter Legem & Euangelium.

Fides in Christum voce Euangelij præcipitur.

Ergo non est opus Legale.

Respondeo ad Minorem: Fides est virtus Evangelica, & tamen opus primi Præcepti, quatenus Lex intelligitur, iuxta declarationem & ἐπιτίμησιν traditam in Euangelio Legem nobis enarrantem & salutariter mitigantem. Prolata enim promissione Euangelij, primum præceptum præcipit talem agnitionem Dei, qualis est patefacta in Lege & Euangelio. Et Lex non potest inchoari, nisi agnito Filio. Nec primum præceptum intelligatur præcipere timorem seruilem, id est, pauorem, fugam, & fremitum sine fide & consolatione, quia talis timor esset contumeliosus in Deum, negans eius veritatem & misericordiam.

2. Timor Dei qui est expauescere agnitione iræ Dei aduersus peccata, sed cum fide accedente ad Deum, ut sit

ut sit timor filialis, volens Deo obedire, cum reuerentia, & cum non offendere.

3. Dilectio Dei, quæ est obedientia iuxta omnia præcepta diuina, præluente vera fide, & cum læticia acquiescente in Deo.

4. Spes, quæ est certa expectatio vitæ æternæ, gratis dandæ propter Mediatorem, & expectatio auxilij in hac vita, iuxta consilium Dei.

### Quid igitur differunt Fides & Spes?

Fides accipit in præsentia iustificationem.

Spes est expectatio futuræ liberationis, cuius conspectu lenitur dolor. Interdum tamen vocabula: Fiducia, Fides, Spes, expectatio, promiscuè usurpantur, quia sunt affectus vicini.

5. Patientia, quæ est, in fide & dilectione Dei, tolerare aduersa, quæ Deus vult nos sustinere, & velle hanc obedientiam propter Deum, ac intuentes voluntatem Dei, minus habere dolorum, nec frangere aduersus Deum: Sed à Deo expectare aut liberationem, aut mitigationem. Vt conuersus Latro in Cruce est patiens, cum accepta remissione peccatorum tolerat poenam in fide & dilectione Dei.

### V. Antithesis.

Peccata pugnantia cum primo Præcepto, comprehenduntur sub generali nomine Idolatriæ, Veræ enim

D 5.

enim.

enim agnitioni Dei opponitur profanitas ignorans & contemnens Deum: Unitati cum Deo opponitur odium Dei, & Superstitio Idolatrica.

Multi autem sunt gradus Idolatriæ, Quia ut homines quæerunt Deum, moti cæca aliqua cupiditate: ita amittunt Deum, & oderunt, cum vident se defici.

### Idolatria.

In genere, est dicere aliquid esse Deum, quod non est Deus, aut dicere hoc non esse Deum, quod est Deus.

Huc igitur pertinent furores eorum, qui fingunt noua numina, iuxta errantes, suas cupiditates. Item: Qui fiduciam debitam Deo, collocant in suas vires, ut Ajax. Item: Qui faciunt pacta cum Diabolis, ut Magi. Item: Qui tribuunt omnipotentiam creaturis. Item: Qui presentiam Dei alligant ad ullam creaturam, sine expresso verbo Dei. Item: Qui cogitant Deum esse mendacem, & iniustum, aut qui deficiunt à Deo desperatione.

De comminationibus & promissionibus additis Legi, dicitur suo loco.

### SECUNDVM PRÆCEPTVM.

I. Prima admonitio est de ordine, vel connexione præceptorum.

II. Secunda



II. Secunda de sententia præcepti, & operibus mandatis in hoc præcepto.

III. De Antithesi.

I. Primum præceptum orditur à summis potentibus, mente & corde, eas vult copulatas esse cum Deo, lucente in nostris mentibus per veras noticias, & transformante nostra corda ad motus ordinatos, ipsi placentes.

Secundum præceptum, loquitur de sermone, & præcipit conuenientiam sermonis cum corde. Quia homo conditus est ad societatem. Sermo autem est nuntius mentis, & cordis in societate. Ita Lex docet de totius hominis conformitate cum Deo.

II. Negatiua propositio prohibet omnes abusus nominis diuini. Ergo affirmatiua præcipit veros usus. Veri usus comprehenduntur usitate quatuor gradibus.

1. Vera inuocatione Dei.
2. Gratiarum actione.
3. Doctrina.
4. Confessione.

#### Inuocatio.

Est alloqui verum Deum, & cogitare præcepta de inuocatione, & de promissione, & fide petere bona, quæ promisit Deus.

Contra :

Præcepta Decalogi sunt distincta.

Inuocatio

Inuocatio est opus primi præcepti.

Ergo malè collocatur in secundum.

Respondeo ad Minorem: In primo præcepto dicitur de vero motu cordis, accedentis ad Deum, fiducia Mediatoris. Et illum affectum interiorum præcedere necesse est. In secundo dicitur, de externa confessione, & recitatione oris.

Ad Inuocationem pertinet Iuramentum, quia res ipsa est inuocatio Dei.

### Quid est Iuramentum?

Est asseueratio de re possibili, & licita, facta cum inuocatione ueri Dei, in qua affirmamus Deum ueracem esse, & punire mendacia, & petimus, ut nobis sit testis, nos uerè sentire ea, quæ dicimus, & ita sit testis, ut puniat fallentes quasi arguentes eum mendacij, si non seruet pactum hic expressum: Non habebit Deus insontem eum, qui uanè usurpauerit nomen eius.

### Est ne iurare prohibitum?

Non est. Probo.

Omnia honesta opera politica, sunt concessa Christianis.

Legitimum iuramentum est opus Politicum.

Ergo est concessum Christianis.

Et Lex inquit: In nomine Domini iurabis.

Item: Omnis controuersie finis est iuramentum.

Talia iuramenta nominantur ἐπὶ κριτῶν, id est, delata à legitimo Magistratu.

Contra:

Contra: Christus dicit:

Vobis autem dico, prorsus non iurate.

Ergo iurare est opus suo genere damnatum.

Iurisconsulti respondent: Christus in illo dicto, prohibet illicitos modos iurandi: Non per cœlum, non per terram. Quia cùm iuramentum sit inuocatio, nō sunt inuocandæ creaturæ.

Alterâ responsio est melior: Christus ibi non loquitur de iuramento, quod est opus politicum: Sed accusat futilitatem humani cordis in iurando, quod homines non cogitant, quàm terribile vinculum sit iuramentum, & sepè flagitiosè abutuntur nomine Dei.

Gratiarum actio erga Deum.

Est verax testificatio, quæ profitetur, acceptâ esse à Deo beneficia, & verè esse Deum, omnipotentem, presentem, & opitulatorem, & simul est opus iustitiæ, quo expressè nos obligamus ad officia Deo grata.

Docere.

Est externa voce doctrinæ ostendere alijs, quod sit Deus, & qualis sit, quæ sit eius voluntas, & quæ sint cultus Deo placentes.

Confiteri.

Est sermone & alijs signis, & factis in tota vitâ, profiteri doctrinam à Deo traditam, & illustrare gloriam Dei, iuxta dictum, Luceat lux vestra coram hominibus, ut glorificent Patrem vestrum cœlestem. Ad confesio

confessionem etiam pertinet Regula de fama: Syraci  
de. 14. Cura sit tibi de bono nomine.

### Bona Fama.

Est testimonium diuinitus ordinatum multorum  
rectè iudicantium, approbantium recta & rectè faci  
entes, quo testimonio muniti sunt homines, ut eis ho  
nestus locus, in communi societate tribuatur, & alij  
homines doceantur, & inuitentur ad recta.

### Appetenda est bona fama.

Propter duas causas:

1. Quia Deus vult intelligi discrimen virtutum,  
& vitiorum, & propterea approbari recta, & vitu  
perari turpia.

2. Deus uetat proponi mala exempla propter  
pericula imitationis. Nota sit igitur vox Augustini:  
Bona conscientia mihi opus est propter Deum, bona  
fama propter Proximum.

### 3. Antithesis.

#### Quæ sunt peccata pugnantia cum secundo præcepto

Prophani, epicurei, & alij blasphemii sermones  
de Deo, omisio ueræ inuocationis, negligentia in inuo  
catione, & gratiarum actione, falsæ inuocationes crea  
turarum, & hominum mortuorum, falsa doctrina, seu  
corruptela ueræ doctrinæ, transferre nomen Dei ad  
execrationes & blasphemias, Abijcere confessionem  
piæ doctrinæ, Prætere nomen Religionis, Ecclesiæ,  
libertatis

libertatis Christianæ sceleribus, deniq; violatio iuramenti, seu periurium.

Et huc pertinent omnia scandala, quæ nominantur data.

### Scandala data, seu perniciofa.

Sunt uel falsa doctrina, uel mala facta, seu praua exempla, quibus alij redduntur deteriores. Quia propter mala exempla, multi alienantur à doctrina, Item: imitatores fiunt mali, & Epicurei. Ideo hæc scandala sunt uitanda.

Pharisaicæ uerò offensiones, quæ sunt scandala per accidens, & usitate nominantur accepta scandala, non debent homines deterere à confessione ueritatis. Sunt enim bona exempla, uel doctrina, quam Deus uult tradi, etiamsi homines offendantur & fremant.

## TERTIUM PRÆCEPTUM.

### I. Admonitio de connectione.

Primum præceptum docet de conformitate mentis, & uoluntatis cum Deo. Secundum de conformitate sermonis. Tertium de conseruatione Ministerij docendi in Ecclesia. Nam cum Ecclesia colligatur uoce doctrina, opus est congregatione, & signis, quæ sunt ærii congregationis.

### II. Admonitio, de Sabbato.

Quæ

Quæ est sententia dicti in Genesi: Requie-  
uit Deus die septimo, ab omni ope-  
re suo, & benedixit ei:

1. Deus condito homine quieuit, id est, non con-  
didit aliam naturam corpoream, præstantiorem homi-  
ne, quem ita condidit, ut vellet in eo acquiescere, in eo  
habitare, & implere eum sua iustitia & vita.

2. Quia homo deceptus à Diabolo, auertit se à  
Deo, & excusit Deum rectorem. Ideo Filius Dei factus  
deprecator, & uictima, quieuit die sabbati in seculo  
pulchro, id est, diuina natura non exeruit suam potes-  
tiam, non repulit uim hostilem: Sed cessit iræ Patri  
aduersus nostra peccata, & uoluit hanc obedientiam  
seu mirandam humilitatem, ut corpus in natura huma-  
na ex uirgine assumpta posset crucifigi, mori & sepeliri.

3. Deus quieuit ab omni opere suo. Ergo non  
condidit postea alias species, aut plures mundos, sicut  
fungunt Democritus & Epicurei.

Sanctificauit eum, id est, uult eum attribui ope-  
ribus sanctis, & Deo dicatis.

### III. Admonitio, de sententia Præcepti.

Sic argumentor:

Ordinationes Mosaicæ sunt abolitæ.

Præceptum de sabbato, est ceremonia Mosaicæ.

Ergo est abolitum.

Respondetur

Respondeo ad Maiorem : Ordinationes Mosaicæ sunt abolitæ, scilicet, quæ tantum sunt iuris positivi.

Minor : Præceptum de sabbato, est ceremoniale, seu iuris positivi, scilicet, quo ad speciem, id est, quo ad certi diei observationem, & modum cessationis. Hæc species est abolita. Sed idem præceptum est naturale, seu Morale, quod ad genus attinet, id est, ad præcipuam sententiam huius legis, quæ pertinet ad omnes homines & ætates, scilicet, ut conseruetur ministerium, & aliquis dies tribuatur publico ministerio.

### Quare nos celebramus sabbatum die primo, seu dominico

Consentaneum est Apostolos mutasse diem, et ostenderent exemplum abrogationis Legum ceremonialium, & politiarum Mosaicarum. Et elegerunt primum, quia illo die resurrexit Christus, & ostendit, se renouatam Ecclesiam, inchoaturum alium statum, differentem à regno corporali.

Dextrè etiam datur responsio ad hoc Argumentum :

Species, quæ est iuris positivi in tertio præcepto, est abolita.

Ocium, vel cessatio die septimo, est ceremonia iuris positivi.

Ergo est abolita.

Respondeo ad Minorem : Modus ocij vel cessationis est ceremonia, seu species, quæ est iuris positivi.

E caq;

eaq; est abolita: Sed ipsum genus, scilicet omittere operas seruiles, impediens ministerium, & abducentes alios a ministerio, est naturale & morale, ideoq; omnes obligat. Ceterum post deletam politiam Mosaicam liberum est eligere alium diem, quam septimum ad publicos congressus, in quibus populus doceatur & admistrantur ritus diuinitus traditi, ut sint vincula publicæ congregationis.

Quæ est igitur sententia generalis  
tertij Præcepti:

Tertium præceptum complectitur doctrinam de presentia, & efficacia Filij Dei in ministerio, & de dignitate ministerij. Præcipit conseruationem ministerij Euangelici, id est, ut doctores recta doceant, conseruata veritate doctrina secundum primū & secundum præceptum, ut populus conueniat, & reuerenter discat doctrinam diuinam, obtemperet doctoribus, utatur pie ceremonijs, & ut singuli aliquid conferant, ad conseruationem ministerij & scholarum.

III. Opera tertij Præcepti.

Præcipuum opus est conseruatio ministerij Euangelici, quod pertinet ad doctores, & ad auditores.

Docentes recta doceant, rectè administrent sacramenta, nec constituent ullam potestatem, extra Euangelium.

Auditores teneant mandatum, de audiendo Euangelio: Qui vos audit, me audit: & sciant, Deum verè  
efficacem



efficacem esse voce ministerij, nec queratit alias reuelationes, extra verbum.

### V. Antithesis.

#### Quæ sunt peccata pugnancia cum 3. Præcepto :

1. Furores Enthusiatarum, & Anabaptistarum delatium ministerium, & negantium Deum esse efficacem, per vocem doctrinæ.

2. Donatistarum, contententium Deum non esse efficacem, si doctores, aut administrantes Sacramenta, non sint sancti. Cum tamen Fides nitatur verbo Dei, non sanctitate ministri, ut dicitur: Qui vos audit, me audit. Iubet respicere personam non ministri, sed suam.

3. Corrumperere doctrinam, aut ceremonias.

4. Abolere ministerium, non conuenire ad publicos congressus, malo exemplo abducere alios, non tribuere debitam reuerentiam ministris Euangelij, eripere eis victum.

His delictis expresse sunt constituta poenæ apud Prophetas, ut Haggei 1. Quia domum meam negligitis, coeli non dant rorem, & terra sit sterilis. Et Hieremie 17. Si non sanctificabitis Sabbatum, succendam ignem in portis Hierusalem, & deuorabit domos, & non extinguetur. Et simus memores dicti: quod extat in Epistola 5. Ignatij.  $\tau\acute{\alpha}\varsigma\ \epsilon\omicron\omicron\gamma\ \acute{\alpha}\varsigma\ \mu\eta\ \delta\epsilon\tau\ \iota\mu\acute{\alpha}\zeta\ \tau\epsilon.$

Quomodo intelligendum est dictum Christi, exæquantis secundam tabulam primæ, cum dicit: Secundum mandatum simile est primo?

*Ita argumentor: Præcepta differunt obiectis. Prima tabula concionatur de cultibus præstandis obiecto præstantiori, quam secunda. Ergo secunda tabula, non est similis primæ.*

*Respondeo: Concedo totum argumentum: Prima tabula est præstantior, quàm secunda, scilicet, respectu obiecti primi seu immediati. Sed Christus facit illam exæquationem, & ornat secundam tabulam hac tanta amplificatione, respectu finis principalis in credentibus, & aliarum etiam causarum.*

Quæ est igitur ratio similitudinis secundæ tabulæ cum primæ?

1. Similitudo est in necessitate obligationis. Nulla autoritas humana potest delere præcepta secundæ tabulæ.
2. In mandatis secundæ tabulæ, semper includitur primum præceptum. Ideo enim necesse est præstare obedientiam. Ut Deus afficiatur honore.
3. Obedientia secundæ tabulæ est pars conformitatis cum Deo: Quia sicut Deus est verax, ita etiam

est castus, & semper detestatur confusiones libi-  
dinum.

4. Illa obedientia etiam erit eterna.

5. Vox Christi de similitudine secundæ tabulæ  
est opposita errori Hypocritarum omnium temporum,  
qui præferunt ceremonias, laboribus Oeconomicis &  
politicis, a Deo mandatis. Sicut Monachi suos stultos  
ritus nominarunt perfectiones, & prætulcrunt eos gu-  
bernationi Danielis, aut Iosephi in Aegypto.

Q V A R T V M P R A E C E  
P T V M.

I. Admonitio de contextu secundæ  
tabulæ cum prima.

Primus gradus sapientiæ est: Vera Dei agnitio,  
& viuificari a Deo, lucente in homine.

Secundus gradus est, intelligere ordinem, quem  
Deus sanxit inter homines. Et conformitas cum vol-  
untate Diuina, quæ vult hunc ordinem seruari, nomi-  
natur iustitia.

Deus condidit homines, vt sint non vt pereant,  
& vt in illis sit conformitas & sua sapientia, & iustis-  
tia. Ergo vult parentes gignere, & sobolem seruare,  
parentes diligere a sobole. Vult hominem non trucidari,  
non spoliari, ne fame pereat. Et vult hominem Deo  
esse conformem, in castitate & veritate.

2. Quæ est sententia quarti præ-  
cepti

E 3

Quarta

Quartum præceptum præcipit de vocatione, & instituit consociationem in hac civili consuetudine hominum. Constituit ordinem personarum, ut aliæ sint persone gubernantes, aliæ illis obedientes.

Primus gradus imperij, est autoritas parentum. Et in hoc præceptum includitur obedientia debita legitimis Magistratibus, quibus Deus tradidit locum parentum.

Præcipitur de honore, quia illa est summus gradus obedientiæ.

#### Quid est honor in genere ?

Honor est in anima noticia, approbans aliquid propter mandatum Dei, & quia Deus ei communicavit sapientiam suam, & iusticiam, aut quia est organum sapientiæ, & iusticiæ Dei. Et est diligere illud, iuxta ordinem à Deo sancitum.

#### Quid est honor erga Magistratum ?

Est noticia, quæ agnoscit, & fatetur ordinem politicum esse opus Dei, & conservari à Deo, & magistratum esse custodem legis Dei, & in hac custodia conspici præsentiam Dei, in genere humano, & lucere sapientiam, & iusticiam Dei in ea, & est diligere ordinem, & personas habentes negotia rectè faciendi, quæ sunt organa diuini ordinis, & sic diligere, ut nos illi fastigio subijciamus, iuxta præceptum Dei. Petere à Deo, ut ipse sit custos huius ordinis, & regat eos, quibus tradidit imperium, cum qua noticia in mem-

te &

te, & subiectione in voluntate, coniuncta sunt externa signa honoris, & obedientiae, iusto ordine.

Facito Analyfin definitionis, & nomina gradus honoris.

Vocabulum honoris, tres gradus complectitur.

1. Reuerentiam in mente propter Deum, quae intelligit hunc ordinem esse opus diuinum, & propter Deum veneratur hunc ordinem, & subijcit se parentibus & Magistratibus, ordine diuino.

2. Gradus est, externa obedientia, in omnibus officijs, & in omni gestu. Quia externus gestus est signum obedientiae interioris sicut flectere genua, & nudare caput, est signum subiectionis & interioris reuerentiae in corde.

3. Gradus honoris est ἐπιείκεια, in tolerandis quibusdam oneribus grauioribus, quae vel a parentum infirmitate oriuntur, vel comitantur arumnas imperiorum.

Nunc discant iuniores explicare vsitata argumenta:

Iniuria non sunt a Deo.

In imperijs multae sunt iniuriae.

Ergo imperia non sunt a Deo.

Respondeo: Nego consequentiam, & ratio est, Quia plus est in conclusione, quam in praemissis, Sic enim debet inferri: Ergo illae confusiones in imperijs non sunt a Deo: Sed oriuntur a mala voluntate Diabolorum.

E 4

bolorum.

bolorum, & hominum, qui turbant ordinem à Deo institutum.

Necesse est igitur discernere res, & personas. Res est ipse ordo, qui complectitur leges honestas, iudicia, iustas pœnas, distinctionem dominiorum, contractuum, conseruationem communis societatis. Iste ordo est testimonium sapientiæ, iustitiæ & præsentis Dei inter homines. Huius ordinis quantum reliquum est, verè à Deo conseruatur, etiam & aliqua partes lacerantur, Vt etsi Lupi aliquas oues rapiunt, tamen diligentia pastoris, magna pars gregis seruatur.

Constituto hoc discrimine, queritur, quæ persone tolerandæ sint, quæ sint ipsarum officia, quomodo eis debeat obediencia, quæ non sint tolerandæ, & quo ordine sint remouendæ?

#### Quæ est definitio Magistratus Politici?

Magistratus est custos Legis. Hæc definitio Aristotelis vera est, si rectè intelligatur. Est custos legis, videlicet, Decalogi, in utraq; tabula, quoad externam disciplinam.

#### Quæ est altera definitio?

Magistratus est persona, ordinata à Deo, ad defensionem Legis, & disciplinæ, in hac ciuili societate hominum, habens mandatum, ut puniat gladio, id est, pœnis corporalibus contumaces.

#### Quid est bonus Magistratus?

Est

Est qui habent  $\pi\epsilon\omicron\alpha\iota\gamma\epsilon\sigma\iota\pi$  iusta facendi, & plerunq; iusta facit, etiamsi aliquando labitur, aut in aliqua parte ist negligentior, aut asperior, quam esse debebat.

Hoc modo definiuntur omnia officia personarum. Ut:

### Quid est bonus Scolasticus?

Est persona, à Deo vocata ad discendum, propter conservationem doctrinæ ad posteritatem, ad gloriam Dei, ad salutem communem & priuatam, habens  $\pi\epsilon\omicron\alpha\iota\gamma\epsilon\sigma\iota\pi$  faciendi officium, & plerunq; rectè facit, etsi aliquando cessat.

### Vnde sumuntur istæ Definitiones?

Ex duobus dictis scripturæ:

1. Est Pauli. 1. Corinth. 4. Hoc requiritur, ut fideles simus.

### Quas virtutes compræhendit Fidelitas?

Scientiam eius rei, quam quisq; profitetur, & in administratione diligentiam. Excludit autem affectatam ignorantiam, & affectatam negligentiam.

2. Alterum dictum est Salomonis: Non est iustus in terra, qui benefaciens non etiam peccet.

### Quæ sunt officia Magistratus Politici?

Quatuor sunt.

1. Magistratus sit vox totius Decalogi, rectè intellecti, quod ad externam disciplinam attinet.

E 5

2. Sit

2. Sit executor Legis diuine, legitime punitur in corporali facientes contra Decalogum.

3. Addat aliquas leges, quæ sint determinationes circumstantiarum, non expressarum in Decalogo: nec tamen pugnent cum Decalogo.

4. Sit executor etiam propriarum Legum.

Quod est vinculum obedientiæ?

Duplex est vinculum obedientiæ Legum civilium,

Alterum est obligatio ad pœnam corporalem, qua Magistratus cohercet, & punit contumaces legitimo ordine.

Alterum est reatus conscientiæ coram Deo, Nam conscientia in eo, qui non vult obedire legitimis imperijs, fit saucia coram Deo. Et contumax effundit Spiritum sanctum, admittit peccatum mortale, & fit reus æternæ pœnæ. Testimonium illustre est in 13. Capite ad Romanos: Necessè est obedire, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam. Propter iram, id est, propter pœnam corporalem. Propter conscientiam, id est, conscientia fit rea coram Deo, propter contumaciam.

Contra:

Nemo potest mandare sub pœna, quam non potest exequi.

Homo non potest exequi æternas pœnas.

Ergo edicta Magistratus non obligant ad pœnas æternas.

Respondeo ad Maiorem: Nemo potest mandare sub



sub pœna, quam non potest exequi, scilicet sola humana auctoritate, sicut in ministerio Euangelij nemo potest humana auctoritate remittere peccata.

Minor: Homo non potest exequi æternas pœnas, Concedo: sine Deo autore politicæ potestatis, & custode huius ordinis etiam in executione pœnarum. Non igitur homo, sed Deus, qui est autor gubernationis, & sub pœna æterna mandat obedientiam, exequitur pœnam, quam ipse sanxit, cum expressâ voce nos imprijs politicis subicit & testatus est potestatem politicam non tamen esse humanam auctoritatem sed organum, per quod ipse vincula ciuiliſ societatis conseruat.

### Quæ est meta obedientiæ?

Omnibus edictis Politici Magistratus obtemperandum est, non pugnantibus cum verbo Dei. Si verò Magistratus mandet rem prohibitam lege Dei, veritas Dei anteferenda est edictis magistratum, iuxta regulam: Necessè est Deo magis obedire, quàm hominibus: Sic in Babylone rectè fecerunt tres viri, qui statum adorare noluerunt: Sed de seruitute corporum, & expilationibus facultatum, quanquam duræ sunt & iniuste, tamè sciat populus communes illas infirmitates in Magistratibus bonis seu mediocribus tolerandas esse, de quibus dixit Petrus: Obedite Dominis, non solum bonis & æquis, sed etiam morosis & durioribus.

### Quid est malus Magistratus?

Tyrans

Tyrannus est, qui habent  $\pi\rho\alpha\lambda\gamma\epsilon\sigma\iota\mu$  scelerate faciendi, & in praeceptis rebus scelerate facit, etiamsi interdum aliquid iuste facit. Hic teneatur Regula: Cum ministri Euangelij aut alij priuati homines in confessione verae doctrinae non defenduntur à legitimis Magistratibus, nequaquam moueant seditiones, sed iniurias & supplicia patienter ferant, sicut de hac patientia consolationes plurimae traditae sunt, ut sciamus eam Deo placere, iuxta dicta Matth. 6. Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam. Item: Psal. 116. Preciosa in conspectu Domini mors sanctorum eius. At potestas politica legitimo modo Ecclesias tueri aduersus iniurias atroces & notorias, cum potest, debet, iuxta illud Prouerb. 29. Eripe eos, qui ducuntur ad mortem. Si dicis, vires non suppetunt, Qui inspector est cordis ipse intelligit.

### 3. Admonitio de Antithesi.

1. Reprehendenda est  $\kappa\alpha\tau\omicron\alpha\lambda\lambda\iota\sigma\iota\alpha$  Pontificiorum, qui imitatione potestatis politicae, constituunt regna in Ecclesia.

Ita argumentantur.

Non debetur minor reuerentia Ecclesiastica potestati, quam politicae.

Legum politicarum violatio, est peccatum mortale.

Ergo & traditionum in Ecclesia.

Respondeo: Concedo Maiorem de reuerentia, sicut casu

ent eam Deus ordinavit. Ordinavit autem, ut debeatur obedientia ministris Evangelij, in omnibus, quæ sunt iuris divini. Ordinationes vero humana autoritate factæ, quæ nominantur traditiones, sunt intelligendæ sine opinione cultus, & sine opinione necessitatis, ut dicitur: Nemo vos arguat in cibo, aut potu, aut vicibus Festorum.

Deinde exemplum de legibus politicis est dissimile, Quia Deus armavit potestatem Politicam, autoritate condendi proprias Leges, quæ non pugnant cum iure divino, & illis debetur obedientia. Sed Evangelium sancit hanc libertatem, ut traditiones humanæ intelligantur, sine opinione cultus & necessitatis.

### Reliqua peccata pugnantia cum hoc Præcepto.

In Parentibus ἀσὸργία, non alere sobolem, non docere, non regere. In Magistratibus, non curare, ut populus de Deo rectè doceatur, non rectè exercere iudicia, imperare iniusta, movere non necessaria bella.

Peccata in sobole: ἀσὸργία erga cognatos. In subditis: Non obedire iustis imperijs, cavillari Leges, non petere à Deo gubernationem Politicæ societatis.

### Q V I N T V M P R A E C E P T V M.

#### I. Caput, de ordine.

Secunda tabula exorsa est à Parentibus, tanquam à stirpe societatis, & ab ipso governatore inter homines.

nes. Constitutis igitur personis gubernantibus, & gradibus in ciuili hominum societate, munit hoc præceptum: Non occides: singulorum corpora, & vitam, & prohibet, ne ullus grassetur in corpus, aut vitam alterius, prohibito modo.

Estq; hic ipse ordo manifestum testimonium, quod sit Deus, & quod sit iudex ac vindex, cum cædes iniustas hominum ideo prohibeat, quia vult conformitatem cum suo ordine. Verè enim diligit æternus Pater Filium suum Christum, & sicut eum non vult trucidari à Diabolo & hominibus: Ita etiam non vult, ut interficiantur homines, qui Christo sunt inserti. Et Genesis 9. additur hoc argumentum prohibitioni iniustarum cædium: Quia homo ad imaginem Dei conditus est, non occidatur priuata cupiditate.

## 2. Caput sententia præcepti.

Affirmatiua ista est. Præcipitur beneuolentia erga omnes homines, & quidem propter Deum, iubet ut velimus omnes homines esse vnã Ecclesiam, & vnũ in Deo, ac omnes rectè inuocare, & celebrare Deum, & velimus omnibus bene esse in corpore & anima, atq; misericordia afficiamur erga calamitosos, & zelo ardeamus ad conuersionem malorum, vel ad legitimam pœnam.

Econtra prohibet hoc præceptum non solum externas corporum iniurias, & vindictam priuatam externam, sed etiam in corde maleuolentiam, inuidentiam, priuatam vindictam cupiditatem: Sicut enarratur à Christo

Christo Matthæi quinto. Item à Prophetis & Apostolis.

### 3. Virtutes.

Iusticia particularis, ut in hoc præcepto consideratur, Est nullius corpus iniuria afficere, & ubi possumus, innocentes defendere,

Manfuctudo est virtus, quæ primum comprehendit iusticiam, non pugnat, ubi non est necesse, & in necessaria pugna moderatur iram, & probabili ratione lenit aliquid de iusta ira seu poena.

Misericordia est uirtus, qua dolemus in calamitate iustorum, quaq; propter probabilem rationem, studemus mitigare etiam iustam poenam, his præsertim, qui errore, aut inbecillitate lapsi sunt.

Humilitas, seu ταπεινοφροσύνη, est in timore Dei agnoscere & fateri propriam infirmitatem & non erumpere extra uocationem: Sed intra metas uocatis onis Deo seruire, spe auxiliij diuini, & non despicere nec premere alios: Sed singulis tribuere gradū, in quem ordine collocati sunt, & sentire, illos etiam posse esse organa salutaria, & non irasci Deo in poenis.

Zelus, est propter gloriam Dei, & iusticiam, incendi dolore & ire, ad depellendas contumelias, & ad depellendam turpitudinem.

Ἐπιείκεια, uel æquitas, est uirtus uicina iustitiæ, & candori, & misericordiæ. Est probali ratione lenire iustas poenas, & obliuisci priuatas iniurias.

Tempe

Temperantia est iustitia debita proprio corpori, in modo victus, & est virtus, quæ in cibo & potu servat mediocritatem convenientem naturæ, & non iugulat corpus immodica holluacione, ne turbetur inuocatio, & ne impediatur opera vocationis.

## 4. Caput.

## Consideratio exceptionis in hoc Præcepto.

Excipitur officium Magistratus, & iustæ pœnæ. Ex hoc fonte respondetur Iuliano & Anabaptistis.

Vindicta est prohibita.

Magistratus puniens scelera, exercet vindictam.

Ergo officium Magistratus est prohibitum.

Respondeo: Nego consequentiam, & ratio est. Quia ex puris particularibus nihil sequitur. Vindicta est prohibita, scilicet priuata, quæ est velle aduersarium tollere, modo non ordinato à Deo.

Minor: Magistratus exercet vindictam, publicam & ordinatam lege Dei. Quia Deus vult puniri scelera.

## Contra:

Deus dicit: Mihi vindictam, & ego retribuam.

Ergo nec Magistratus exerceat vindictam.

Respondeo: Nego Consequentiam. Quia in antecedente comprehenditur Magistratus: Ego retribuam, vel per me, immediatè, vel mediatè, per Magistratus.

Ad offi

Ad officium etiam Magistratus pertinent legitima  
 & bella militaria, ideo non pugnant cum hoc præcepto.

Bellū est, aut legitima defensio, aut legitima pœna,  
 suscepta ab ordinaria potestate, propter iustā causam.

Vnica verò tantum est iusta causa, videlicet,  
 quando aliquis est ἀνομόρως, nec potest aliter tueri  
 pacem aduersus malos.

De bello teneatur dictum Abigail: Quia prælia  
 Domini præliaris, non inueniatur in te iniquitas.

### 5. Caput. Antithesis.

Vitia pugnantia cum hoc Præcepto.

Iniustitia afficiens alios iniuria.

Crudelitas excedens modum in pœnis, & non ad-  
 hibens ἐπιείκεια, ubi est probabilis ratio.

Nimia indulgentia, vel lentitas, conuiuens ad  
 enormia scelera.

Cupiditas vindictæ priuatæ: Odiæ: Esse impla-  
 cabilem: Quod vitium oritur ex stoliditate & super-  
 bia, Tales enim neq; cognoscere neq; ignoscere norunt.

Duplex verò est fons omnium contentionum: Sue-  
 perbia & φιλονεικία.

SUPERBIA, est securum, & sine timore Dei  
 esse, confidere proprijs viribus, & fiducia sui extra  
 metas vocationis erumpere, sibi potentiâ velle augere,  
 dispicere & premere alios, pertinaciter anteferre pro-  
 priam sapientiam bonis consilijs, & irasci Deo, & ho-  
 minibus, cum exitus est infelix.

F

φιλοσ

φιλονεικία est in mouendis certaminibus, vel iniustas, vel non necessarias contentiones accendere, superbia, ambitione, curiositate, naturæ, simulatione, iracundia, superstitione, vel in respondendo neq; cedere, neq; aliquid lenire, sed acerbitate velle vincere, & vindi- dig; sumere materiam inflammandi odia.

INVIDIA, est dolere, alios homines habere aliquid qua dona, seu virtutē, vel alijs bonis rebus antecellere. ἐπιχαιρεκακία est letitia in calamitate inflo- rum, seu tolerabilium.

Huc pertinent peccata Ebrietatis & Luxus.

Quæ nam causa præcipuè hortari debet pios homines ad Temperantiam?

Cogitatio de malis, quæ sequuntur Ebrietatem. Spiritus sanctus habitat in renatis, & permiscet se cum spiritibus, natis in cerebro & corde hominis, & accendit in ipsis lucem, iustitiam, & vitam diuinam. Magnū igitur scelus est, illa opera Dei turbare helluati- ne, & expellere illum hospitem, videlicet, spiritum sanctum, accersere sibi morbos, exitium, inopiam, impo- dire necessarios labores meditationum, precationum, & assiduitate ingurgitationis accersere sibi malos mores, deliria & furores continuos, sicut dicitur: Consuetudine insani durata vicia, vino concepta, etiam sine vino valent. Ita Christus dicit: Cauete ne corda vestra grauentur crapula, & ebrietate.

Huc pertinent & iniusta bella, quæ sunt latro- cinia.



vitia, excitata à Diabolo, animis hominum incensis in  
iusta cupiditate. Ea Deus tolerat, ut puniantur utriusque  
partis scelera. Istitis autem flammis iniustorum  
odiorum, opponendum est dictum Christi: Discite à  
me, quia mitis sum, & humilis corde. Est mitis, parcit  
generi humano, lapsus in eternam damnationem, & fit  
deprecator pro hominibus. Est humilis corde, abijcit se  
infra omnes angelos & homines, ut homini reddatur  
vita, & iustitia, amissa per peccatum.

## SEXTVM PRAECEPTVM.

DEVS vult Legem & virtutes intelligi, ut scias  
mus, qualis ipse sit, & ut in inuocatione eum discernamus  
à malis naturis. Illustre verò discrimen facit Cas-  
titas.

Castitatem valde postulare Deum, ostenditur du-  
pliciter.

1. Quia horribiliter punit confusiones libidinum.
2. Quia Diaboli furenter impellunt homines ad  
libidines, non quia uoluptas similis in illis sit, ut in car-  
nali natura: Sed odio Dei, ut magis offendatur Deus,  
& plures homines pereant.

## Quæ est sententia 6. Præcepti

Munit fœdera coniugij, & prohibet omnes com-  
mixtiones & contaminationes, extra hunc ordinem à  
Deo institutum.

## Quid est Castitas?

Est virtus, quæ vitat omnes commixtiones, &  
effusiones

effusiones seminis, prohibitas Lege Dei, & est, vel in  
vita cœlibe, casto, & sine incendijs libidinum vivere,  
vel in coniugio seruare ordinem a Deo institutum.

**Quomodo igitur Deus vult coniungi,  
marem & foeminam ?**

Regula tradita est in Paradiso: Erunt duo in  
carnem vnâ, id est, inseparabiliter iuncti. Hæc in-  
stituit coniugium, & prohibet vagas libidines.

**Quid est Coniugium ?**

Est legitima & indissolubis coniunctio, vni-  
us maris & foemine, ordinata a Deo ad procreationem,  
& ad vitandas libidines, vt agnoscamus Deum esse  
mentem castam, & vt hoc modo colligatur Deo ex ge-  
nere humano aeterna Ecclesia.

**Enarratio definitionis.**

Particula legitima excludit coniunctiones illicitas,  
& prohibitas lege Dei. In Leuitico 18. capite ro-  
citantur personæ, quas non licet coniungere.

**Quare nominantur istæ coniunctiones  
incestæ consuetudines ?**

Vocabulum incestus est a nomine κέσος, quod  
significat Cingulum nuptiale, cuius vsus erat in publi-  
ca solennitate legitimarum nuptiarum, & cingebatur  
eo Sponsa, quam simul Sponsus brachijs amplecteba-  
tur. Iste ritus significat amorem ordinatum, & restric-  
tum intra certas metas,

Fuit etiam perpetua consuetudo, non solum Eccles-  
iæ, sed etiam antiquitatis Ethnicæ celebrare nuptias,  
adhibita

Abhibita publica pompa, in qua Sponsa commendabatur sponso ad aram, sicut elegans dictum est Pythagoræ, quod citat Aristoteles:

Sponsa commendatur Sponsa ad aram, tanquam supplex.

Ergo Maritus debet esse beneficus & mitis erga suam coniugem, & non seuire in eam, sicut pietas & humanitas est parcere supplicibus.

Estq; in isto ritu imago Ecclesiæ, Et sic mysterium coniugalis fœderis enarratur à Paulo: Nam Ecclesia adducitur ad Christum, tanquam ad Sponsum, & ipse iacet prostratus ad aram, id est, coram aeterno Patre, & placat iram Patris. Legitimis ergo nuptijs opponuntur incestæ commixtiones, scilicet, quando coniunguntur personæ, quæ propter naturalem cognationem coniungi non debebant, & ubi non possunt seruari Leges, & ritus honesti coniugij.

Coniunctio indissolubilis vnius maris & foeminae, probatur ex dicto: Erunt duo in carnem vnam. Et ita dicit Christus: Quos Deus coniunxit, homo nõ separet.

Vbi dicitur de priore fine coniugij:

Crescite, & multiplicamini.

Quare Deus voluit propagationem generis humani, fieri ex duobus, mare & foeminae:

1. Quia voluit in hac vita esse Ecclesiam, & Ecclesiam colligi in quadam societate.

2. Ut esset in coniugio amor ordinatus, & verus, qualis est inter Sponsam & Sponsam.

3. Ut intelligeremus castitatem, & ista uirtute possimus Deum discernere à naturis immundis, Diabolis & hominibus.

4. Ut iste amor esset commonefactio, de amore in filio Dei, erga Ecclesiam.

Vbi dicitur de altero fine Coniugij:

Melius est nubere, quam vri: Et: Ad uitandam scortationem, quilibet habeat suam uxorem, & quis libet suum maritum.

Quæ est sententia Dicti in Genesi: Dixit Deus, non est bonum hominem esse solum &

Dixit, id est, arcana deliberatione ita sanxit, cum ipse sit mens casta, uelle in opere generationis, seruare certum ordinem, & se horribiliter irasci uagis libidinibus, & punire eas. Ergo sequitur, scelerate facere Pontifices, qui contra auctoritatem diuini decreti, damnant coniugia, & magna agmina animarum, per impium ecelibatam, miserunt in æternam damnationem.

Contra:

Paulus dicit: Bonum est homini, mulierem non tangere.

Ergo dictum Pauli pugnat cum Genesi.

Respondeo: Nego consequentiam, quia ambiguitas tollit

tas tollit pugnantiam, sunt enim diversi respectus. Nam Genesis loquitur de tota specie, id est, de toto genere humano. Ita decreuit Deus, propagatione hominum debere fieri, in isto ordine, à Deo sancito. Paulus autem non loquitur de tota specie: sed de paucis indiuiduis in Ecclesia, uidelicet de renatis aliquibus, qui sunt ornati singularibus donis, & possunt extra coniugium castè uiuere, sicut Iohannes Baptista, Paulus, & pauci alij.

Aliud: Bonum est homini mulierem non tangere.

Ergo coniugium est malum.

Respondeo: Nego consequentiam, quia pugnantia debent opponi, secundum differentias, non secundum genus, uel communia accidentia. Bonum est unum genus, quod comprehendit plures species, uidelicet, omnes res bonas à Deo conditas & concessas.

Aliud: In Euangelio, secundum Aegyptios scriptum est.

Tunc ueniet regnum Christi, quando cessabit opus mulieris.

Generatio est opus mulieris.

Ergo in nouo Testamento cessat generatio & coniugium.

Respondeo: Nego Minorem, Generatio non est opus mulieris: Sed Dei, quod in hac natura condidit Deus, & seruat usq; ad resurrectionem mortuorum. Sed opus mulieris, seu Eua, est ininitium peccati, &

mortis. In prædicatione autem Euangelij, cessant peccatum & mors æterna, in illis, qui fide accipiunt remissionem peccatorum.

Aut respondendum est.

Veniente regno Christi, post resurrectionem, cessaturam generationem, peccatum & mortem prorsus.

Aliud: In prima Ecclesia Viduæ fuerunt obligatæ votis ad vitam cœlibem.

Ergo vota cœlibatus, non sunt violanda.

Antecedens ostenditur ex loco Pauli, accusantis viduas, quod irridam fecerint primam fidem.

Respondeo: Nego consequentiam. Quia etsi concedamus fuisse vota, tamen est ingens dissimilitudo, inter illa vota, & vota monastica. Certè tunc nulla fuit obligatio ad impios cultus, etiamsi fuisset consuetudo faciendi vota, quod tamen non dicit Paulus. Horum verò recentium temporum vota Monastica sunt vincula, quæ cogunt homines peccare, quia obligant eos ad manifestos cultus idolorum, & ad impurum cœlibatum. Ergo manifestum est, Monasticas obligationes esse irritas, & anteponendum illis esse immutabile mandatum Dei, & necessario discedendum ex illis pollutis societatibus.

Secundo: Nego antecedens. Prima fides apud Paulum, non significat votum cœlibatus: Sed fidem Euangelicam, quam quidem dicit amitti salacitate, & spiritum sanctum illis peccatis excuti, sicut ostendunt verba in textu.

Recita

Recita dictum ex Genesi, de poena  
Sodomorum.

Pluit Dominus ignem & Sulphur à Domino, su-  
per Sodomam. Dominus, id est Filius Dei, ipse fuit mi-  
nister & executor poenae super Sodomam, coniecit  
ignem in tecta Sodomitarum. Et istis telis fuit arma-  
tus à Domino, id est, ab aeterno Patre. Id dicitur in  
his versibus.

Et quod mireris, fuit indignatio tanta,  
Ut non sit famula poena peracta manu.  
Iniecit tectis ardentia sulphura, praesens  
Filius aeterno de genitore satius.

SEPTIMUM PRAECEPTUM.

I. Admonitio.

De fonte & fundamento huius  
Praecepti.

LEX, Non furtum facies, sancit aequalitatem,  
ne alteri quicquam eripias, vi, vel fraude, nec alter tibi  
quicquam eripiat: sed quisque suum aequaliter teneat.

Ratio est:

Deus vult intelligi, iustitiam esse aequalem, ut  
sciamus ipsum esse aequalem, & in ipso non esse πρὸς  
ἰσότητα.

LEX, non occides, sancit aequalitatem, ne tu al-  
terius corpus violes, nec alius tuum: Sed aequaliter ser-  
uentur omnia membra generis humani. Septimum

F 5

Praecepta.

Præceptum sancit æqualitatem in rebus & ordinat  
Lege.

Quid est προσωποληψία?

Est dare equalibus inæqualia, aut inæqualibus  
æqualia.

DEVS æqualiter accusat & damnat peccatum  
in omnibus hominibus, æqualiter etiam recipit omnes  
agentes pœnitentiam, & petentes remissionem propter  
Filium.

Quæ est affirmatiua sententia primi  
Præcepti?

Sancit & approbat rerum proprietatem, & de-  
finitionem dominiorum, & præcipit de illa specie in-  
stitutiæ particularis, quæ gubernat rerum diuisionem, &  
contractus, & mandat, ne iniuste, ui uel fraude, bona  
aliena occupentur.

Quid est Dominium?

Est ius, id est, facultas ordinata Lege, qua rem  
tenet Dominus, & non alius, & de ea re disponit suo  
arbitrio, nisi quantum Lege, aut pacto prohibetur.

Furtum est occupare, uel auferre rem alienam,  
inuito Domino.

Primum quero: Vtrum diuitiæ sint res  
bonæ, & vtrum bonum sit esse  
diuitem?

Sic argumentor, ex sententia Stoicorum.

Bonum est à quo dicimur boni.

A pecc



A pecunia non dicimur boni.

Ergo pecunia non est bonum.

Respondeo: In coniugatis ambiguis non ualet consequentia, & respondeo ordine ad Propositiones: In Maiori est definitio illius speciei, quæ nominatur bonum Morale. Pecunia uero non est bonum Morale, sed Naturale.

Bonum naturale, est res condita à Deo, placens Deo, & ordinata ad certos usus in uita, Deo placentes, sicut dicitur: Vidit Deus omnia quæ fecerat, & erant valde bona. Et: Omnis creatura Dei bona est. Ergo diuitiæ sunt bonæ.

### Quomodo definiuit Epicurus Diuitias:

Diuitiæ sunt ad Legem naturæ composita paupertas. Id est, sunt copia rerum, conueniens naturæ hominum, ne homo, aut immani luxu, sua bona profundat, aut uiuat in sordida illuuiæ, perniciofa corpore & valetudini.

Est ne concessum Christianis habere  
proprium:

Est. Probo: Septimum præceptum dicit: Non furtum facias.

Ergo sancit, & approbat rerum proprietatem.

Consequentiam probo, Quia si nulli haberent proprium, & omnes res essent communes, nemo posset furari.

Ac tenendum est dulcissimum dictum Salomonis, quod approbat dominia rerum, præcipit de sedulitate, parsimonia & liberalitate, quæ sunt virtutes propriae huius præcepti: Bibe aquam de tuis fontibus, Fontes tui deriuentur foras, & tu Dominus eorum maneto, & non alieni tecum. Bene dicitur enim fontibus tuis, & non des substantiam tuam crudeli. Hoc est, tu maneat in tuo fundo, & patrimonio: Sed de tuis bonis iuuato uerè egentes. Non autem confirmes ignauiam stellionum, & ualidorum mendicantium, qui sunt quasi hiruines, & exugunt credulos & simplices.

Contra:

Naturalia sunt immutabilia.

Communio rerum est iuris naturæ.

Ergo est immutabili.

Respondeo ad Maiorem: Naturalia sunt immutabilia, scilicet illa, quæ sunt præcepti, id est, notitia naturales, ut numerorum & alia principia, & notitia Legis diuinæ.

Minor: Communio rerum est iuris naturæ, scilicet non tanquam præceptum: Sed tanquam bonum utile, quod fuisset possibile in natura integra, ubi in homine nulla fuisset πλεονεξία, auaritia, aut iniusta cupiditas habendi. Nunc uero post naturæ deprauationem, mutatum est hoc bonum, sicut perpetua sanitas corporis, aut alia bona, naturæ integræ attributa.

Rursus opponunt Anabaptistæ.

Exempla

Exempla Apostolorum sunt imitanda.

Apostoli contulerunt facultates in commune.

Ergo Christianis non licet tenere proprium.

Respondeo ad Maiorem: Exempla Apostolorum sunt imitanda, scilicet, quæ sunt præcepta, & quæ ipsi voluerunt esse tanquam præcepta.

Minor: Apostoli contulerunt facultates in unum, non ut ferrent nouam Legem, de communione bonorum: sed vsurparunt hoc tanquam bonum utile, conueniens isti temporis. Nam cum alioqui Christianis creperentur facultates, propter confessionem, malebant eas prius vendere, & accipere pecuniam, ut haberent viaticum in exilio. Fecerunt hoc Hierosolyma, non fecerunt Roma, vel in Græcia: Sed tantum in illo loco, ubi erant insignes persecutiones, & insignia odia erga hanc doctrinam.

Rursus: Augustinus dicit:

Tolle iura Imperatorum, & nemo audet dicere, hæc villa mea est.

Item: Vnusquisq; quod possidet, iure humano possidet.

Ergo distinctio Dominiorum, non est iuris diuini.

Respondeo: Augustini dictum est improprium, & indiget prudenti declaratione. Distinctio dominiorum, & translationes dominiorum, sunt à Deo, non ex auctoritate humana. Magistratus autem, est custos illius distributionis, & Leges humana, in quolibet imperio, definiunt modum distributionis. Aliter diuidebatur hereditas

hereditas paterna, lege Mosaica, aliter diuiditur secundum nostram ueram.

### 3. Admonitio.

#### Quae sunt virtutes huius Præcepti?

Propria virtus huius Præcepti, est species iustitiæ particularis, quæ nominatur iustitia commutativa, et in permutatione rerum, et contractibus, seruat æquilitatem meros et precij, proportionem Arithmetica, dat precium præcisè æquale merci vel labori.

#### Quod est discrimen obligationum?

Alia debentur obligatione naturali tantum, non civili, ad quæ præstanda, Magistratus suis poenis non cogit homines. Ut: Diues Lazaro egenti debebat opitulari: Sed Magistratus tales omissiones non punit, Sicut enim opera beneficentiæ, vel liberalitatis.

Alia debentur obligatione naturali, et civili, ad quæ præstanda, Magistratus cogit homines suis externis poenis, ut dare precium pro merce, soluere debita. Ista sunt officia iustitiæ.

Septimum Præceptum loquitur de utraq; obligatione. Sed maior turpitudine est, non præstare debita obligatione diuina et civili.

#### Quid est Sedulitas?

Est virtus, qua constanter et firmiter volumus, propter Deum, et communem salutem, facere labores uocationi convenientes, inuante Deo, qui petentibus auxilium promissit.

Libro 4

*Liberalitas, vel beneficentia, est virtus, uicina iustitie, quæ præstat officia debita obligatione naturali, & collocat bona, & pecuniam in usus à Deo mansuetos.*

*Ad quos usus sunt conferendæ diuitiæ ?*

1. *Ad conseruationem ministerij Evangelici & studiorum.*
2. *Ad conseruationem politici status.*
3. *Ad sustentationem propriij corporis & familie.*
4. *Ad iuuandos pauperes uerè egentes.*

*Uicina uirtus liberalitati, est PARSIMONIA, quæ est uirtus, seruans res proprias, & uitans inanes profusiones, ut possit dare in loco secundum mandatum Dei.*

#### 4. Admonitio. De Antithesi.

*Scriptura, una appellatione nominat fures, omnes, uiolantes iustitiam commutatiuam: Sed in fora sunt plures appellationes, quia alia delicta, alijs atrociora sunt: Fures, Grassatores, Raptores, Usurarij, Stelliones, ignaui Mendici*

*Quid est Vsuræ seu Fœnus ?*

*Est lucrum iniustum, supra sortem exactum, tantum propter officium mutationis.*

*Sunt ne usuræ concessæ Christianis.*

*Non*

Non sunt. Nam vox diuina expressè eas prohibet, & pugnant cum equalitate, quod probo hoc Syllogismo:

Nemo debet lucrari ex alieno, quia Deus in contractibus vult equalitatem seruari, ut in commonfaciat in ipso etiam iustitiam et equalitatem.

Accipiens usuram lucratur ex alieno, quia non seruat equalitatem, cum multo plus recipiat quam dedit, scilicet & sortem, quæ est equalis mutuo, & amplius pro nihilo.

Ergo hoc lucrum est iniustum.

Quid sunt usuræ centesimæ?

Quæ centesimo mense æquant sortem, id est, quando penditur de 100 aureis, singulis mensibus unus, vel delictet de centum, 12. uno anno.

Interesse,

Est id quod iure naturæ debetur alicui, vel quia damno affectus est ab eo, qui non soluens constituto die efficacem causam damni dedit, vel quia lucrum ab eo quod reuera impeditum est propter moram non soluentis constituto die. Germani nominant Schadengelt.

Usura, vel τόκος, est appellatio rei turpis: Sed interesse rei honestæ. Quia naturalis æquitas præcipit neminem debere affici damno.

Ita dicit Christus: Quæcunq; uultis, ut faciant uobis homines, eadem facite & ipsis. Et rectè dictum est à Iurisconsultis: Nemo debet locupletari cum alterius damno.

Speit

Species verò determinata, rectè constituitur à Legibus. Et Euangelium non abolet politicas ordinationes.

Ad Furta pertinent etiam aucupia illorum, qui libenter sumunt mutuo, & defraudant alios. Turpissima enim furta sunt illorum, qui nolunt soluere.

Ita nota est Lex Persica, quæ notat ignominia obaratos. Et in veteri historia dicitur: Obarati non possunt esse in autoritate, Quia necesse est, eos publicè esse infames, propter iniustitiam.

Sedulitati opponuntur duo vitia extrema:

Ignavia est, non velle facere necessarios labores vocationis.

πολυπραγμοσύνη, est omittere necessarias operas, & ingerere se alienæ vocationi, multa mouere, & turbare, sine mandato.

Liberalitati opponuntur luxus, vel Prodigalitas, & deinde Auaritia, vel sordes.

OCTAVVM PRÆCEPTVM.

I. Admonitio, de fundamento octavi Præcepti.

Mandatur seuerissime veritas à Deo, ut sciamus ipsum esse veracem. Et sciamus, Deum nec velle peccata, nec causam esse peccati, nec in ipso esse voluntates

tates contradictorias, sicut dicitur: Est autem Deus  
verax, Item: Qui misit me, verax est.

2. Quæ est Affirmatiua sententia

8. Præcepti:

Sit verax oratio, & tota externa actio sit con-  
grua cum mente, & sint firma dicta, & pacta.

Sunt ne iudicia concessa Christianis:

Sunt. Probo.

Omnia honesta officia Politica, sunt concessa Chri-  
stianis.

Litigare in foro est Politicum opus.

Ergo est concessum Christianis.

Item: Prouocatio est licita.

Prouocatio est opus forense.

Ergo opera forensia sunt licita.

Maiorem probo ab exemplo: Paulus prouocat

Cæsarem.

Contra:

Calumnie sunt prohibita.

In iudicijs multe sunt calumnie.

Ergo iudicia sunt prohibita.

Nego consequentiam, & ratio est. Quia plus est  
in conclusione, quam in præmissis. Calumnie quæ ad-  
miseruntur à litigatoribus, ex odio, vel auaritia, sunt  
damnata: Sed ipsa iudicia, & disputationes Forenses,  
sunt pars ordinis Politici, quem Deus instituit, & ap-  
probat. Et in Litigatore sancto, concurrunt multe  
virtutes. Reuerentia erga Leges, & Magistratus, amor  
iustitiæ, veritatis, pacis publicæ.

3. Propria



3. *Propria virtus huius Præcepti, est veritas, seu veracitas:*

*Quid significat vocabulum Veritas?*

*Vocabulum veritas, interdum significat veras notitias, seu doctrinam, vel sermonem verum, & tunc est congruentia sermonis cum re, Ut: quando dico: Arithmeticam esse veritatem, aut niuem non esse nigram, sed candidam. Interdum est nomen virtutis, quæ posset nominari Veracitas.*

*Quid est Veritas?*

*Est virtus, quæ amplectitur, amat, & constanter retinet veras notitias, veram doctrinam, & veros sermones, abhorret à mendacijs, & Sophistica, & efficit, ut congruant dicta, seu promissa, & facta, & ut sermo, ac gestus congruant cum animo.*

*Postulat autem Deus veritatem propter duas causas:*

1. *Ut sciamus, qualis ipse sit, & de eius voluntate, firmiter ex sermone ipsius iudicemus.*

2. *Propter utilitatem vitæ, Quia nulli possent inter homines esse contractus, & turbaretur tota vitæ, si artes essent mendacia, & si non seruariantur pacta, & dicta.*

*Quæ sunt aliæ virtutes huius Præcepti?*

*Candor, est virtus vicina veritati, propter probabilem rationem approbans aliorum voluntates, & non*

Et non gignens varias suspitiones, malevolentiam  
κακονδεΐα, quaedam etiam ambigua in meliorem par-  
tem flectens, ac bene quidem sperans, sed tamen in  
mutabilibus, id est, cogitans hominum voluntates posse  
mutari, et posse hominem errare de voluntate alterius  
cum non penitus introspiciantur latebrae humani cordis.

Ad septimum et octavum Praeceptum, pertinet  
et virtus, quae nominatur Gratitude.

Est autem Gratitude virtus, quae complectitur  
veritatem, et iustitiam. Veritas agnoscit et fatetur,  
unde accepta sunt beneficia. Iustitia obligat nos ad mu-  
tuam benevolentiam, et officia mutua possibilia. Hae  
etiam pertinent illae virtutes, quae gubernant sermo-  
nem, tanquam ornamenta, etsi non sunt necessariae sin-  
gulis.

Ut urbanitas seu lepos est, sermones tempestive  
proferre, vel figurate, vel simpliciter, qui aut moesti  
dolorem leniant, aut in iratis nimios motus arte fra-  
gant, aut superbos reprehendant.

Referantur ergo huc distinctiones inter Salem  
candidum, qui dicitur esse Mercurij, et significat di-  
cta, quae augent benevolentiam, et inter Salem Montium  
seu Nigrum, qui significat venenatas reprehensiones.

#### 4. Admonitio de Antithesi.

Prima et praecipua Antithesis huius praecipti  
sunt Diaboli, a quibus ortum est mendacium, et qui  
horribili odio Dei confirmant in multorum mentibus  
eterrima mendacia contra Deum, et contra ordinem  
Politicum et Oeconomium, Cor

Corruptelæ doctrinæ de Deo, pugnant cum secundo Præcepto. Sed corruptelæ in artibus collocantur inter mendacia pugnantia cum hoc præcepto, & cum illis fraudes, imposturæ, & Sophisticæ prastigia in tota vita.

### Quid est Mendacium?

Est cogitatio contraria rei, vel dictum contrarium rei, quam dici necesse est, vel gestus contrarius rei, cum ex cupiditate, petulantia, aut studio nocendi, oritur.

### Vetustas sic distinxit Mendacia:

Alia sunt perniciosa, Alia iocosa, Alia officiosa. Sed melius est, nomen mendacij non transferre ad Apeologos, & occultationes officiosas.

### Ita igitur dicimus.

Alia sunt occultationes insidiosæ, quæ fiunt aut cupiditate nocendi, aut ex vanitate, & nominantur proprie mendacia.

Alia sunt occultationes officiosæ, in quibus teguntur illa, quorum confessio non est necessaria, vel quæ tegi necesse est, ne alijs noceamus. Ut Rachel arte occultat Idola, Rahab negat se habere hospites Israëliticos. Coniunx Davidis fingit maritum egrotare, & collocat statuam in Lectum. Tales figuræ non sunt mendacia: Sed possunt nominari Stratagemata, aut ἑπίματτα λόγου, Ironiæ, vel πᾶσι τὸ τοῦτο. Non causa ut causa.

Tertio, sunt dissimulationes figuratæ, quæ sunt iocosa imagines, excogitatæ à sapientibus, ut sint comæ monefactis.

monestiones de rebus bonis & veris, ostensa quoque  
pictura. Deus enim vult homines doceri, aut proprio  
sermone, aut figurato, aut picturis, sicut cetera  
Mosaico fuerunt pictura & figura.

CANDORIS sunt duo extrema vitia: Calumnia, & stulta Credulitas.

Calumnia:

Est quomodo crimen fingere ac serere, vanas  
alij suspiciones, & recte facta, aut ambigua deprava-  
re. Eccle. 10. Qualis est serpens qui clam mordet,  
talisis est Calumniator.

Stulta credulitas.

Est sine discretione, omnibus credere, & exi-  
mare, omnes esse amicos fideles & sinceros.

Huc referenda sunt omnia vitia linguae, inter qua  
praecipuum est Mendacium:

Garrulitas non seruat modum.

Praecipitantia, peccat tempore.

Curiositas, non discernit obiecta necessaria,  
non necessarijs.

Maledicentia est iniusta, & cupida nocendi.

Petulantia, est facile & libenter conuiciari.

Vanitas, vel iactantia, est, gloriosa de se pra-  
dicare.

Ironia vitiosa, est occultatio, cum necessaria  
confessio, seu, ubi necesse erat, aliquid dici apertius.

Δύσωνία, est rustico pudore impediri, ne lo-  
quar ubi opus est.

Axioma est simulare pudorem, & humilitatem quasi nolis id, quod maxime appetis.

Impudentia, est dicere quæ nescis, & magna polliceri.

Scurrilitas, est loqui sermones, vel iocos obscenos, virulentos, impudentes.

Scopiticum esse, est gestu, vel mordaci dicto, petulantè reprehendere.

Futilitas, est garrulitas ociosa & inanis.

Insulitas, est stupor nimius, & indignus homine.

Affentatio est vitium conflatum ex istis omnibus, & querens gratiam alterius, ex allusione ad ipsius affectus.

Huc referendæ sunt omnes Sophisticæ præstigiæ, & elusiones in iudicijs, pactis, & tota vita.

NONVM ET DECIMVM  
PRÆCEPTVM.

Quæ est sententia horum postremorum  
Præceptorum :

Nonum & Decimum Præceptum ostendunt discrimen Legum politicarum, & Legis diuinæ.

Leges politicæ tantum præcipiunt de externis actionibus, non loquuntur de interioribus motibus, aut prauitate cordis.

Sed Leges diuinæ præcipiunt de integra obedientia, interiore & exteriori, seu de integra conformitate

G 4 mitate

mitate omnium virium hominis, mentis, & voluntatis, & cordis cum Deo. Accusant & damnant, non tantum externa delicta: Sed etiam tenebras mentis, & prauitatem cordis. Ideo nonum & decimum Præceptum addunt hanc declarationem superioribus.

Quæ est enarratio vocabuli Concupiscentiæ?

1. Concupiscentia non significat ipsas appetitiones à Deo in natura conditas, quia hæc fuissent etiam in natura integra, ut amor Dei, appetitio cibi, potus, *σὺγχο*, ira, Zelus, sed significat auersionem à Deo, & deprauationem in omnibus viribus & appetitionibus huius corruptæ naturæ.

2. Concupiscentia non tantum significat malos affectus, ad quos accedit consensus, sicut vocabulum hoc enarrarunt Pharisei & Monachi qui dixerunt, non damnari *πρωτόθετος*. Quia Paulus accusat defectus, & deprauationem totius naturæ à Deo auersionem non tantum malos affectus.

Quid est igitur Concupiscentia?

Est *ἀραξία* omnium virium in hac deprauata natura, quæ est secuta lapsum primorum parentum, videlicet, tenebræ, & dubitationes de Deo in mente, Auersio à Deo, contumacia in voluntate & corde, incendia malorum affectuum. Quæ peccata omnia pugnant cum lege Dei, & propter ea persona est rea coram Deo, nisi fiat remissio propter Mediatorem.

Vnde

Vnde sumitur hæc Definitio :

Ex dicto Pauli : Sensus carnis inimicitia est aduersus Deum. Legi enim Dei non subiecitur, nec subijei potest.

Quæ est enarratio vocabulorum, in dicto Pauli :

Carnem nominat Paulus, totam naturam hominis non renati, videlicet, non solum appetitiones sensuum, seu affectus : Sed etiam partem superiorem, intellectum & voluntatem. Vocabulum  $\phi\gamma\epsilon\upsilon\mu\alpha$  comprehendit cognitionem & affectus. Spiritus autem significat spiritum sanctum, & motus, qui accenduntur in corde renati, à Spiritu sancto.

Nominat autem Paulus inimicitiam loquens in abstracto, ut maior sit emphasis, Quia hæc tristis natura humana  $\alpha\tau\alpha\gamma\epsilon\iota\alpha$ , vere est malum horribiliter Deo displicens, & cui Deus valde irascitur.

Contra :

In natura sunt multe bonæ noticiæ, Ut numerorum, Legis naturæ, & multi boni affectus, ut  $\sigma\delta\gamma\omega\alpha$ .

Ergo Paulus non rectò dicit, sensum carnis esse inimicitiam aduersus Deum.

Respondeo : Nego consequentiam, Quia est fallacia accidentis. Item fallacia in dicto secundum quid ad dictum simpliciter. Paulus enim accusat carnales cogitationes de Deo, & affectus erga Deum, quales sunt in non renatis, in quibus regnat magna confusio

& 7 dubitatio.

dubitationum & affectuum, qua etiam bonæ notitiæ  
obscurantur & boni affectus depravantur, quæ ceterum  
in impijs non reguntur ordine.

Aliud:

Disciplina est possibilis homini.

Disciplina est iustitia carnis.

Ergo caro potest subijci legi Dei.

Respondeo: Paulus in isto dicto non loquitur de  
externa frenatione locomotiue: Sed de interiore obedi-  
entia, videlicet, de interioribus tenebris, & dubi-  
tationibus, & vitiosis inclinationibus.

Argumentum Eccij.

Lex Dei tantum prohibet actiones.

Concupiscentia non est externa actio.

Ergo non est prohibita Lege Dei.

Maiorem confirmat. Quia in singulis præceptis  
sunt usurpata verba actionum: Non habebis Deum  
alienos. Non occides &c.

Respondeo: Nego Maiorem. Decalogus est in-  
telligendus secundum enarrationem Prophetarum  
Christi, & Apostolorum, qui docent, Legem Dei non  
tantum concionari de externis operibus: sed præcipere  
interiorem, & perfectam obedientiam omnium viri-  
um erga Deum, sicut dicitur: Diligas Dominum De-  
um tuum, ex tota mente tua, ex tota anima tua, & ex  
omnibus viribus tuis. Item: Lex spiritualis est.

DE